



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

2. Anima iusti hominis est Domus, Basilica, Templum, Et in eâ ædificatur
Domus Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICVLVS II.

ANIMA HOMINIS IYSTI EST

Domus, Basilica, Templum,

Et in eâ adificatur Domus Dei.

EST Anima sanctitate iustitiæ ornata, & virtutibus instructa pulcherrimum & sumptuosissimum, si quod vnquam alicubi extitit, aut etiamnum est in orbe terrarum vllibi Palatium. Palatium dico? immò Basilica, & Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii; Spiritus Sancti Regia. *Si quis diligit me, inquiebat Christus Dominus, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum. Et ad eum veniemus, & Mansionem apud eum faciemus, Joannis XIV. Noscitis, Aiebat Paulus Apostolus, quia Templum DEI estis & Spiritus sanctus habitat in vobis? i. ad Corinth. III. comminabatur idem: Si quis Templum DEI violaverit, disperdet eum DEUS, Templum DEI Sanctum est, quod vos estis. Denique assertiuè: Vos estis Templum DEI vivi, Secundæ ad Corinth. VI. Itaque Domus DEI. Quod non Corinthiis tantum, sed Christianis omnibus, si sint, quales esse deberent, est dictum. De eâ autem, si de ullâ alia verissimum est Regis sanctissimi effatum: *Nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui adificant eam. Per DOMVM autem in eo versiculo intelligitur, Primò, sensu literali, Templum Salomonis Ierosolymitanum, ex lapidibus extructum; & consequenter, quælibet Domus ad habitandum idonea. Secundò, sensu mystico, Ecclesia fidelium. Tertio, eodem sensu, Anima hominis verè Christiani. Quarto, sensu tropologico, Ædificium ex virtutibus in Anima erectum. Nam quolibet sensu, DEI ÆDIFICATIO sumus, & Templum,**

Pauli attestatione & loquendi modo (1. ad Corin. viii. 9. 16. 17, cap. vi. 19.) quo constat, ad officium tum Concionatoris industrii tum Auditoris attentis spectare eam domum extruere.

CERTE, is missus ad prædicationem Euangelii, optimus Concionator, dicebat se potestatem à Domino accepisse in *Ædificationem*, hoc est, ad *Ædificandum*, 1. ad Corinthios tertio decimo; nominans se *Architectum* sapientem, 1. ad Corinth. tertio. Nam posuit DEVS in Ecclesiâ Pastores, Doctoresque ad *Ædificationem*, ad Ephesios iv. Monet autem idem Apostolus, quod ad Auditores pertinet, ut *Ædificemus alterutrum*, primæ ad Thessalonicenses v. *Ut quæ Ædificationis sunt Invicem custodiamus*, ad Romanos xiv. *Ut unusquisque placeat proximo suo in bonum ad Ædificationem*, ad Roman. xv. Ut intelligamus nos *coedificari*, veluti *lapides viuos*, (1. Petri 2. 5. 2. Pet. 6. 16. 1. Corinth. 3. 16.) denique, ut *omnia ad Ædificationem fiant*. 1. ad Corinth. xiv. Sic enim Domus DEI in nobis & proximis nostris *ædificabitur*. Felices Vos, si ut *Sapientia*, cuius ea est *Domus*, operam dare cæpistis, quilibet in suâ classe, quilibet pro suo modulo, quilibet secundum gratiam sibi cælitus communicatam; ita ab hodierno die, magno animo, iunctis viribus, ardore inflammato, verbis & exemplis *Ædificare* incipiatis *Domum Sanctitatis*, quam inhabitet Sanctus Sanctorum, & vobiscum jugiter commoretur.

* *
* *

AR-